



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXXI. De Immunitate Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

dotium sanctum, offerre spirituales hostias. Nec S. Joannes ex eo, quod dicat, Christum fecisse regnum DEO Patri suo, dicere vult, omnes Christianos propriè esse Reges. Ad 2. similiter Patres appellare omnes Christianos impropriè solum Sacerdotes; in quem modum illos explicat D. Thomas 3. P. q. 82. art. 1. ad 1. ajens: *Bonus Christianus dicitur Sacerdos spiritualiter, non autem quoad ordinem.* Ad 3. Clericos propriè non dici, nisi illos, qui peculiariter per sacrum Ordinem DEI cultui participati sunt, vel quia de sorte seu hereditate sunt Domini, vel quia ipse Dominus fors seu pars est Clericorum: omnes autem Christianos non nisi impropriè & latè vocari Clericos, in quem modum D. Petrus epist. 1. c. 5. v. 2. ajens: *neque dominantes in cleris*, accipit nomen cleri pro omnibus Fidelibus, qui sunt fors & hereditas Christi, qui aliàs propriè dicuntur populares seu laici à græca voce *laos* quæ populum seu plebem significat. Ad 4. negando inter Christianos nullum esse discrimen, adeoque nullos esse laicos meros. D. Paulus ad Galat. cit. solum vult in Christo JESU ejusque lege nullum esse discrimen quoad justificationem per Baptismum & gratiam ibidem communicatam, de hac enim loquebatur Apostolus. Ad 5. prophetiæ donum utique etiam feminis dari posse, quæ tamen per illud non accipiunt sacrum Ordinem, & Sacerdotes propriè constituuntur, ut idcirco in officio & statu Ecclesiæ eminent, sicuti Clerici ratione status sui supra alios fideles laicos tam viros quàm mulieres præstant. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 995. ubi hanc propositionem Conringij: *Lege divinâ atque eternâ ad verâ Ecclesiæ essentiam Presbyteros aut Episcopos non exigi*, juremeritissimo censent absurdam, si agatur de Ecclesiâ non quacunque possibili, sed de tali, qualem DEUS de facto constituit, & usque ad finem mundi peritura est.

CONTROVERS. LXXX.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Sacramentum Ordinis cum peculiari ratione hominem sacro DEI cultui destinat, aliquam inde eminentiam dignitatèque ei tribuit, ut tum ipse, tum ea, quæ ipsius sunt, in majori præ cæteris respectu habeantur, nec pari passu cum illis procedatur. Unde Immunitas & Exceptio Clericorum seu Libertas Ecclesiastica breviter à Tannero Tom. 4. D. 7. Q. 4. dub. 5. num. 98. describitur: Jus ac libera facultas utendi fructibusque omnibus jurbus exemptionibus & privilegijs, quibus universim seu divino seu humano jure Personæ & res Ecclesiasticæ sunt affectæ. Brevius à Fagnano in cap. cum causa n. 33. de sent. excom. definitur: Libertas, quæ competit Ecclesiasticis Personis & rebus ad eos spectantibus. De hac Immunitate Ecclesiastica multa habent Scholastici & Morales Theologi: item Canonistæ, & ex his breviter Felice Via in summa Juris Canonici: nos ea, quæ ab hæreticis in controversiam trahuntur, paucis expediemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Clerici exempti sunt à potestate Laicali. Ita omnes Catholicici. Probatur. Tum ex c. at si Cleric. c. Clerici. c. cum non ab homine. c. qualiter de judic. c. si diligenti. c. significati de foro competenti. Authent. statuimus de Episcopis & Clericis. Tum quia hæc exemptione Clericorum dignitas commendatur, & major illis honor ac reverentia deferuntur. Atque hanc Ecclesiasticam libertatem omnibus retro sæculis in Ecclesia semper viguisse, eruditè ostendit Tanner loc. cit. à num. 101. contra quosdam ejusdem hostes scribere ausos, *usque ad Justinianum Imperat. nullum in jure extare privilegium de exemptione Clericorum.*

II. **D**octrina secunda. Clerici non omnino sunt liberi à potestate seculari quoad vim ejus directivam in legibus civilibus, quæ conducunt ad bonum statum Reip. & non repugnant Ecclesiasticis Canonibus, aut ipsi Clericorum statui; imò jure divino Clerici in his facere id tenentur, quod secularis potestas statuit. Ita omnes Catholicici. Prob. 1. ex Script. Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; quod S. Chrysostom. Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, D. Thomas, alijque Interpretes affirmant dictum esse omnibus etiam Monachis, & alijs cujuscunque conditionis hominibus, nempe juxta sensum allatæ doctrinæ; in quem etiam modum loquitur D. Petrus epist. 1. c. 2. v. 13. *Subjetti igitur estote omni humane creature propter DEUM, sive Regi; tanquam præcellenti &c.* Prob. 2. autoritate Patrum in cit. textus Sac. Scripturæ. Nicolai I. in epist. ad Michaelem Imperatorem sub finem &c. quibus addendus Valentianus piissimus Imperator in epist. ad Episcopos Asiæ apud Theodoretum Lib. 4. hist. cap. 3. Prob. 3. ratione. Quia Clerici sunt etiam cives & membra Reipubl. politicæ. Ergo in politicis rebus, quæ eorum statui non præjudicant, sinere debent se dirigi ad commune bonum, pacem, & tranquillitatem; *turpis quippe est omnis pars, que non est toti conformis.*

III. **D**octrina tertia. Clerici in causis spiritualibus nempe Fidem, Sacramenta, sacrificium, divinum cultum, animarumque salutem respicientibus jure divino exempti sunt à jurisdictione Laicorum. Ita omnes Catholicici; è quibus hanc doctrinam latius ostendunt P. Francisc. Suarez in Defens. Fidei Lib. 4. de Immunit. Ecclesiast. cap. 2. Molina Theol. Tom. 1. D. 31. concl. 2. Covarr. pract. quæst. c. 31. n. 2. &c. Fundamentum est, quia harum causarum spiritualium judicium illis solum competere potest, quibus Christus concessit, cum ab isto constitutio illarum emanaverit. Atqui Christus soli Petro, ejusque successoribus judicium illud promisit Matth. 16. v. 18. his verbis: *Tues Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Et confestim eidem adjecit Ioan. 21. v. 17. *pasce oves meas.* Ergo solus Petrus ejusque Successores, & quibus ipse commiserit, hoc judicium habent. Ergo Imperatores, Reges, alijque Principes humani illo carent. Ergo ab istorum jurisdictione in his causis Clerici sunt

rici sunt exempti. Imò in iudicio prædictarum causarum non solum Clerici sunt exempti, sed etiam laici, quia isti subditi non possunt sæculari jurisdictioni, nisi causa agitanda ad sæcularem jurisdictionem pertineat. Cum ergo causa spiritualis extra jurisdictionem sæcularem sit, efficitur sanè nequaquam in illo foro iudicari de eadem laicos posse. Confirmatur ex D. Paulo 1. Corinth. 6. v. 1. ubi noluit civiles Christianorum lites deferri ad iudicium Gentilium. Quamò minus Apostolus Ecclesiasticas causas ab eodem Gentilium iudicio decidi voluerit? Unde etiam Constantinus M. Theodosius, aliique Christiani Imperatores causas Clericorum & sacerdotum ad Episcoporum iudicia remisere.

IV. *Doctrina quarta.* Clerici quoad gubernationem personarum suarum, adeoque quoad vim coactivam: itemque quoad bona & causas politicas contentiosas omnino à jurisdictione sæculari sunt exempti iure humano tam ecclesiastico, quam civili. Ita omnes Catholici. Probatum primò pars quoad personas Clericorum à vi coactiva Potestatis sæcularis. Tum ex iure Ecclesiastico antiquorum Conciliorum, & Decretorum Pontificiorum; videlicet ex Concilio Chalcedonensi can. 9. Toletano III. can. 13. Matiscorense II. can. 9. Et ex Caio Papa in epist. ad Felic. Episcopum. Ex Gregorio lib. 10. Regist. epist. 14. &c. Item ex iure civili, nempe Iustiniano in Novellis constitut. 79. 83. & 123. ubi in civilibus quidem simpliciter eximit clericos à potestate coactiva sæculari: in criminalibus autem hoc modo, ut iudex sæcularis possit quidem de causa cognoscere, attamen non condemnare Clericum, nisi prius fuerit ab Episcopo degradatus. Verùm Jus Canonicum simpliciter eximit in criminalibus etiam quoad causam cognitionem; quod jus omnino prævalet, cum sit præstantius civili, & possit illud corrigere in ijs, quæ ad bonum Ecclesiæ pertinent. Tum ratione. Nam cum Clerici in spiritualibus civili Magistratui præsent, incongruens foret, si ipsi coram suis subditis etiã in alio genere causarum comparerent, & ab ijs iudicarentur, nisi quando dignitate clericali exuti ab Ecclesia illorum potestati subijciuntur. Unde summæ laudi datur Constantino Imperatori, quod Episcopis quibusdam aliorum Episcoporum nomen deferentibus responderit: *Vos Dii estis à DEO constituti, & vobis DEUS potestatem dedit, de nobis quoque iudicandi, & quasi DEOS quosdam constituit: conveniens non est, ut homo Deos iudicet.* Ita refert Ruffinus Lib. 10. histor. c. 2. D. Gregorius Lib. 4. Regist. epist. 75. ad Mauric. Imp. & Gratianus 2. q. 1. can. continua.

V. Probatum altera pars quoad Bona Clericorum & controversias politicas eisdem. Tum ex iure Ecclesiastico & Civili. nempe ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. p. 1. cap. 19. Et Innocentio III. ca. 46. Item ex cap. sanctæ Mariæ extra. de constitutionibus. & cap. quia nonnulli. & cap. clericis de immunitate Ecclesiar. L. 6. & cap. quanquam Lib. 6. Item ex Iustiniano L. sancimus c. de sacro senctis Eccles. Ante Iustinianum autem clerici liberi quidem erant à tributis personalibus, ut apparet ex Hieronymo in cap. 17. Matth: non autem à tributis possessionum, ut intelligi potest ex Ambrosio in orat. de tradendis Basilicis. Tum ex ratione. Nam subiectio quoad personarum causas contentiosas, ut istæ

rigorose discutiantur: & quoad bona, ut ex his tributa pendantur, pendet velut ex radice ex ipsarum personarum subiectio (juxta id Apostoli Rom. 13. vers. 6. ideo enim & tributa præstatis) etenim à subditis tributa exiguntur, & istorum lites cum autoritate deciduntur. Ergo eo ipso, quod Clerici quoad personas iure Ecclesiastico civili rectè eximantur, etiam quoad bona sua & causas litigiosas exempti sint oportet. Confirmatur. Clerici ipsi in sortem & peculium Dei transeunt, ac ratione peculiari DEO consecrantur; quidni igitur ea, quæ ad eos spectant, à sæculari potestate cum iisdem simul eximantur?

VI. Nunquam restat gravis inter Catholicos Doctores quaestio. Utrum Immunitas hæc Clericorum quoad Personas & bona ac controversias politicas non solum ex iure humano Ecclesiastico & Civili, sed etiam ex iure divino & naturali proveniat? Quælis cum fidem Catholicam minimè concernat, non diutius ei immorabimur, sed placita solum diversorum Authorum cum suis quæque fundamentis breviter referemus, ac decisionem alijs relinquemus. Negant Immunitatem Ecclesiasticam quoad Personas & Bona ex divino & naturali iure provenire viri graves & docti, teste Tannero loc. cit. num. 134. nominatim Victoria Relect. 1. de Potest. Ecclesiast. q. 6. Joannes Medina Cod. de Restit. q. 25. Sotus Lib. 4. sent. D. 25. q. 2. art. 2. Michael de Palatio ibid. Disput. 3. conclus. 3. Sayrus Tom. 1. Casuum in explic. Bullæ cœnæ. Excom. 17. Henriquez Lib. 10. Theolog. Mor. c. 15. n. 4. Innocent. in c. de maior. & obediens. Alciat. in cap. cum non ab homine col. 2. de iudicij. Covarr. pract. quæst. c. 31. Molina Theol. Tom. 1. de Just. Disp. 31. Bannez 22. q. 67. art. 1. &c. ut faretur Valent. Tom. 4. Disp. 9. Q. 5. pun. 4. assert. 3. plerique Theologi asserentes, Immunitatem Ecclesiasticam quoad personas & bona à solo iure humano Ecclesiastico & Civili introductam fuisse. Moventur 1. Quia nullus in Sac. Scriptura apertus habetur locus concessæ Immunitatis Ecclesiasticæ. 2. Quia S. Paulus Roman. 13. v. 1. & S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 13. volunt, ut omnes essent subditi sublimiori potestati. 3. Quia ipsemet Apostolus Act. 25. v. 12. appellavit ad Cæsarem. 4. Quia Clerici longo post Apostolos tempore fuerunt subiecti sæcularibus Principibus, ut apparet ex codice Iustiniano tit. de sacrosanctis Eccles. &c. 5. Si dignitas clericalis & Immunitas est juris divini & naturalis, in nullo casu Clerici subijci sæculari potestati possunt, cujus tamen contrarium constat, & juxta Tridentinum Sess. 23. c. 6. de reformat. initiati quatuor Minoribus, si beneficium non habent, privilegio fori non gaudent; ratio sequelæ est, quia prærogativa juris divini & naturalis eadem semper in omnibus esset. 6. Character Sacri Ordinis ex se non eximit clericum à jurisdictione sæculari; siquidem hominem solum divino deputat cultui, quem cultum subiectio sub illa jurisdictione per se non impedit; aliàs nunquam fieri potuisset. 7. In lege Naturæ Primogeniti fuerunt sacerdotes, nec tamen exempti à majorum suorum potestate.

VI. Affirmant, Immunitatem Ecclesiasticam quoad Personas & Bona tam à iure divino & naturali, quam humano Ecclesiastico & Civili fuisse introductam plerique omnes Canonistæ, ex quibus

quibus plures refert Covarruvias loc. cit. Item ex Theologis Jacobus Almainus Tr. de Eccles. potest. Joan. Driedo L. 1. de Libert. Christian. cap. 9. confid. 3. & seqq. Valentia Tom. 4. D. 9. Q. 5. pun. 4. Suarez in defens. Eccles. Cathol. L. 4. c. 9. Tanner Tom. 4. D. 7. Q. 4. dub. 6. Layman Lib. 4. Tr. 9. cap. 8. Antonius Diana Part. 4. Tr. 1. Refol. 44. & P. 6. Tr. 1. Refol. 34. à §. sed superest. Et ex part. Refol. 29. §. Quartò. in quibus locis plures citat, & hanc affirmativam sententiam dicit esse communem DD. Probant 1. ex varijs testimonijs Antiqui & Novi Testamenti; nominatim ex Matth. 17. ubi Christus v. 25. se veluti naturalem DEI Filium à tributo liberum pronunciat. Ergo etiam exempta est tota illius familia, quam Clerici constituunt illius cultui speciatim destinati. 2. ex varijs textibus Conciliorum & Juris Canonici apud citatos adductis; nominatim Tridentinum Sess. 25. c. 20. de reform. ait, *Ecclesia & Personarum Ecclesiasticarum Immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam.* 3. Supposita institutione Clericatus, quam Christus fecit, Clerici sunt Patres, Magistri, & Superiores sæcularium. Ergo jure divino & naturali à potestate horum exempti. 4. Si exemptio Clericorum non provenit à Christo, sitque ideo juris humani, non apparet, quomodo Pontifex tot homines quoad se & bona sua à potestate sæculari eximere possit. 5. Omni tempore in Ecclesia fuit immunitas Ecclesiastica, prout ratione temporum fieri poterat adversus potestates sæculares; ut videre est apud Suarez Lib. 4. cit. c. 3. & 12. & apud Tannerum loc. cit. à num. 101. 6. Nulla potestas seu jurisdictio extendit se virtute sua ultra limites objecti sui. Ergo nec sæcularis potestas in Personas & Bona Ecclesiastica. 7. Circa eadem objecta eisdemque res non versantur diversæ potestates. Ergo nec circa Personas & Bona Ecclesiastica potestas Ecclesiastica & Sæcularis.

VII. Hæc sunt diversa cum suis fundamentis placita Doctorum, quos haud agrè conciliari posse arbitramur. Nimirum si priores negantes jus divinum intelligamus de divino in sacris litteris expresso: posteriores verò affirmantes accipiamus de fundamento in Sacris Scripturis præbito ad jus humanum pro Immunitate Ecclesiastica faciendum. Nam Christus Matth. 16. & Joan. 21. commisit Petro ejusque Successoribus Ecclesiæ suæ gubernationem; quæ cum rite regi non possit absque immunitate & exemptione Ecclesiastica, omnino tenendum, quod Christus non solum contulerit Petro ejusque Successoribus potestatem eximendi Clericos à Jurisdictione sæculari, prout conveniens Ecclesiæ fuerit visum, sed etiam specialialiter talem ipsi exemptionem præceperit, id quod satis aperte indicat Tridentinum Sess. 23. cap. 20. cit. affirmans *Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam.* Si autem non solum hominum constitutione, sed etiam DEI ordinatione. Ergo DEUS voluit & ordinavit hanc Immunitatem concedi: modum verò hujus concessionis tum quoad personas, tum quoad materias ipsi Pontifici reliquit disponendum. Declaratur à simili. Christus Petro commisit Ecclesiæ gubernationem, & necessariam huic potestatem concessit; quæ gubernatio cum fieri rite non possit absque aliqua jurisdictione spiritali penes Episcopos & Pastores, hoc ipso Christus dedit Petro præ-

ptum saltem inclusum in potestate concessa regendi Ecclesiam, voluitque ut subjectis sibi Episcopis & Pastoribus jurisdictionem spirituales communicaret: at quantitatem hujus jurisdictionis ipsi Petro (& hujus Successoribus) reliquit determinandam, prout in bonum Ecclesiæ visum fuerit. Ita de Immunitate & exemptione Clericorum discurremus. Atque in hunc sensum dicimus, verumque est, prædictam Immunitatem in Jure divino fundari; quippe provenit à jure divino, ut concedatur: modus autem concessionis Papæ relinquatur.

VIII. Hanc reconciliationem innuit Cardinalis Bellarminus Lib. 1. de Clericis c. 28. ubi hanc suam propositionem (Exemptio clericorum in rebus politicis tum quoad personas tum quoad bona introducta est jure humano pariter & divino) ita explicat, ut dicat, per divinum jus non intelligere se præceptum DEI proprie dictum, seu positivum divinum strictè sumptum, sed solum deductum per exempla & testimonia Sacræ Scripturæ, DEUM voluisse scilicet talem exemptionem statui. Eandem reconciliationem apertius insinuat Ferdin. à Castro-Palao Tract. 12. Disput. unic. dub. 1. Quapropter probabilissimè doceri posse videtur, Immunitatem Ecclesiasticam quoad Personas & materias immediate quidem provenisse ex jure humano positivo Pontificio, attamen fundamentum illius in jure divino præextitisse. Priorem partem suadent argumenta à Doctoribus jus divinum negantibus adducta. Ex posteriore parte, nempe ex eo, quod fundamentum Immunitatis Ecclesiasticæ per supremum Ecclesiæ Rectorem condendæ in jure divino præextitisse dicamus, argumenta à Doctoribus jus divinum affirmantibus allata penitus enervantur. 1. quidem, tum quia præcepta divina Uet. Test. non habent vim, nisi quatenus fundantur in jure naturali, à quo exemptionem non provenire, inde liquet, quod ea non sit æqualis in omnibus Clericis, quod tamen esset, si ex jure naturaliforet, tum quia ex illo Matth. 17. nõ inferitur, omnes Clericos esse exemptos; siquidem exempto Patrono à tributo non eximuntur necessarii omnes ejus Familiæ. 2. quia ex Concilijs & Canonibus non evincitur jus divinum. Tridentinum jam explicavimus. 3. quia non repugnat, diverso respectu esse superiorem, & Subditum, ut patet in eo, qui filium habet Regem; filio enim esset subditus ratione regniæ dignitatis, & eodem esset superior ratione patriæ potestatis. Sic clericus ratione Clericalis dignitatis est superior etiam Regibus, & ipsdem subditus quoad politicum regimen. 4. quia penes Pontificem est potestas à Christo eximendi Clericos. 5. quia Immunitas & Exemptio ista Clericorum semper à Magistratu Ecclesiastico provenit. 6. quia status Clericalis per se non est exemptus à potestate sæculari, sed ex hac extrahitur per leges Ecclesiastici Magistratus, quæ exemptione facta illa potestas, sæcularis non amplius se extendit in Clericos. 7. denique quia oppositum nimis est clarum & verum, etsi diverso respectu, ut in proposito accidit.

Sed, ut diximus, decisio sit meliori judicio reliqua.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-
CORUM.

IX. **E**rror primus. Clerici ne jure quidem humano quoad personas & materias rectè à potestate Magistratûs Civilis eximuntur. Ita Amesius Tom. 2. à fol. 130. duce Calvino L. 4. Instit. c. 11. §. 15. Gerhardus L. 2. P. 2. à fol. 136. & alij Sæctarij communiter. Probant. 1. ex illo ad Rom. 13. v. 1. & 1. Pet. 2. v. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Subjecti igitur estote &c.* Ergo jure divino etiam Clerici subiecti esse debent humanæ ac sæculari potestati. 2. ex eo, quod Constantinus apud Theodoretum Lib. 1. c. 20. dixerit, *se Eusebium Nicomediensem Episcopum Arianum ejecisse in exilium, ac subjunxerit, si quis Episcopus tumultuatus fuerit, illius audaciam se coerciturum.* 3. ex pari. Ordo Clericalis non liberat à debito servitutis, à debito pecuniario, à debito conjugali. Ergo nec à debito subjectionis civilis. 4. ex injuria, quæ fit Principibus, si inviti suo jure priventur.

X. Errorem hunc post plura Concilia & Canones rejicit ac damnat Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 20. cit. decernens, *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus institutam.* Et sanè ipsa quoque Sacra Scriptura ejusdem exemptionis Clericorum tam quoad personas, quàm bona Ecclesiastica faciendæ haud levem dat ansam præter locos citatos 1. Corinth. c. 6. ubi Apostolus acerrimè per 7. versus reprehendit Corinthios, quod ad Judicium sæculare suas causas civiles deferrent, jubetque omnino, ut ipsi inter se viros judicio idoneos præficiant &c. Quantò autem magis absurdum foret, ut supra jam insinuavi, si Clerici (qui supra cæteros autoritate & potestate eminent) tam quoad personas, quàm bona & controversias suas politicas foro & potestati sæculari subijcerentur. Unde à Sacris Concilijs & Canonibus exemptio Clericorum à potestate sæculari sapientissimè facta est, nec absque fundamento in jure divino præbito, ut jam diximus. Cæterùm cum Lutherus Lib. de abrog. missæ universim de Sæctarijs scribat: *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo nulla prorsus secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus rufus, nullus Monachus esse debeat.* Cum, inquam, Lutherus hisce coloribus Ministros Sæctarum depingat, utique Prædicantes & quivis alij Ministelli verbi ob nullam rationem eximi à potestate sæculari merentur; Imò illorum vilitatem & abjectam sortem erubescunt, & dedignantur, quicumque ex familia paulò magis honorata se prognatos noverunt. Probationes nullius sunt momenti.

XI. Respondetur ad 1. intelligi hoc de legitimis Superioribus; quales Reges & Magistratus sæculares respectu Clericorum non sunt, factâ istorum exemptione per supremum Ecclesiæ Rectorem, & hujus potestatem supernaturalem eidem à Christo pro reâta Ecclesiæ gubernatione concessam. Unde breviter infero 1. nullâ humanâ potestate hanc exceptionem Clericorum à Pontifice factam tolli posse. 2. neque ipsum Papam

integrè ac penitus auferre eandem posse. 3. ipsum D. Petrum, ejusque Successores immediatè à Christo exemptum fuisse. Ad 2. Constantinum fecisse id, postquam ille Eusebius fuerat depositus ab Episcopatu, & à Concilio Niceno degradatus: nec dixisse Constantinum (ut pro mendaci suo genio refert Calvinus) se audaciam Eiscoporum cõreiturum, sed Laicorum Nicomediensem, si malint sequi Episcopos hæreticos, & non eum, quem ipsis Concilium constituerit & proposuerit. Ad 3. non esse parem rationem; quippe majus est vinculum inter Dominum & Servum, inter creditorem & debitorem, inter virum & uxorem, quàm inter Principem seu Magistratum & Civem. Ad 4. non facere ulli injuriam illum, qui utitur jure suo. Videatur Bellarminus Lib. 1. de Clericis cap. 28. ubi bene ait, si Clericus violet civilem legem, carius vendendo, quàm lex præscribat, peccare eum, ac restituere teneri: non tamen posse conveniri apud Judicem sæcularem, sed apud Episcopum tantum; quia etsi Clerici sub sint legibus talibus quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam & cõercitivam, ut violatores legum illarum puniri à sæculari Magistratu possint.

XII. *Error secundus.* Clerici etiam in rebus & causis merè Ecclesiasticis Potestati sæculari subijciuntur. Ita Philippus Melancthon in locis cap. de Magist. festatus Marsilium de Padua, & Joan. de Janduno, qui etiam Christum dixerunt subiectum fuisse legibus politicis. Iste error adeo absurdus est, ut eum etiam Calvinus loc. cit. & cæteri Novatores. erubescant. Quare nec nos illum refutatione, sed explosione dignum censemus.

CONTROVERS. LXXXI.

DE MATRIMONIO.

IN Matrimonio duo sunt consideranda prædicata, scilicet Contractus, & Sacramenti. Matrimonium, ut habet rationem Sacramenti spectat propriè ad Theologiam: ut habet rationem Contractus, hoc est, reciproçæ obligationis conjugalis, agunt de eodem tum Juris Periti, tum Theologi scholastici & Morales. Nos pro foro nostro ea solum referemus, quæ inter Catholicos & Hæreticos controversa sunt, eaque breviter expediemus cum multis non indigeant.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHO-
LICORUM.

I. **D**octrina prima. Matrimonium, ut contractus sic communiter describitur: *Est conjunctio maritalis legitima viri & femine inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Mart. Perez. D. 13. Sæct. 10. & alij, omnis cæteris, dicunt Matrimonium esse *Conjunctionem Maritalem.* Rectè & breviter, sed clariùs dici potest, quod